

XII, b2 L

5, 754







VERSUS EPITAPHIOS,  
**IN OBITVM**  
 PII AC MODESTI ADO-  
 lescentis IOHANNIS, integerrimi  
 & Doctissimi Viri Dn. M. IOHANNIS  
 Trylleri, Præturæ Leucopetræ Præfeci,  
 Filij, placida morte ex hac cadu-  
 ca in alteram æternam  
 evocati.

ANNO CHRISTI,

---

M. D. XCI.

die 10. M. Augusti.

*Scriptos ab*

Amicis & Consanguineis.



LIPSIÆ,  
*Imprimebat Iohannes Beyer Typographus*  
 & Bibliopola ibidem.



T V M V L O

IOHANNIS TRYLLERI  
adolescentis in ipso genij & inge-  
nij flore mortui accinebat.

ΕΙΔΟΣ ΠΙΝΔΑΡΙΚΩΝ.

Ioachimus Tanckius Perleberg.

Med. art. Licentiat. & Poetics Professor  
Publ. in Academia Lipsiensi.

STROPHE.

**V**ita fugæ mora, somnio umbra vanior,  
Flori similis, quem Tempe florea terra  
Cereris sinu, ceu matris, Gebalia proferunt.  
Et Cilix potat senex Galesiriuulis:  
Humidusq; interdum si Iovis è sinu liquor  
Iugi depluentis largitate, si suisq; uberibus  
Lactifluis Dea Iuno sereno tempore noctis  
Emulgens aqua dulces globulos, recreat &  
Rescicit arentem apricitate caloris endo  
Molliculis fibris, viret, viget, floret, inde  
Et auctus caput frugi primum virgulta inter nitida  
Ad astra caulem pingens superbo subleuat colore.  
Miratur Napæaq;, Florilegæq; Dryades,  
Corycæaq; petessunt Nympha: Sed ubi aer  
Flatu comam vrit pestilens, macrore, tabeq; aret.

A 2 AN-

ANTISTROPHE.

**T**alis homo, speculum DEI pulcherrimum:  
 Firma tamen haud nexum compagine corpus  
 Retinaculorum. Non is egreditur matris al-  
 uo absq; nixu lancinante nervos ostium.  
 Vagit in cunis tenellus, bibit, amulans niuem,  
 Lac matris, reuinctus fascijs, Parum ille ubi primum a-  
 uit, pia cura patris subit, educit nervus in fron- (dole-  
 dosum, quâ Sorores conspicui fide DEI.  
 Latice potant, quem Pegasi unguia fudit ictu.  
 Huic chorus applaudit nouensilis, Gratiæq;  
 Fauent ore linguisq;: Sed terræ suspendit propius  
 Nigris eum si scrutata cali fata Morta filis,  
 Mox illa Atropos secat, ac modò vitæ aditu in i-  
 pso cadit. Heu celebris spes TRYLLERE parentis,  
 Sic sic cadis, TRYLLERAE adorea decus futurum.

E P O D O S.

**H**aud nos tamen miseros planè finxit homillos sors  
 Aspera: ceu testa figuli est. AETERNI sed DEI  
 Vigilans cura sumus, trahentes superis oris semina.  
 Vivimus rebus ut eximamur caducis beati.  
 Non hac vita perennat sed Polo altera: Illuc spe trahimur.  
 Miseri dolent, si quem ethere DEVS recepit alto.  
 Receptum Ducis in aulam, vel honoribus auctum si  
 Felicem ducimus & omni beatum parte puta-  
 mus: Quò mage beatus erit, supera qui sedc cali  
 Aspectu fruitur sacræ TRIADOS, choro Angelorum  
 Mistus, æterna voce CHRISTI laudes canentium.  
 O Faustitas, ô Beatitas, ô immensa æternitas!  
 Polo æterna nos vita manet: Hoc caduco æuo caduca.  
 ELE.



ELEGIA FVNEBRIS,  
M. Matthiæ Metth Iudi litera-  
rij Salifini Moderatoris.

**A** H quod in humanis nihil est durabile rebus,  
Cuncta sed ancipiti stentq; cadantq; vice.  
Ah quoties animos hominum spes lactat inanis,  
Cum rapit ambigua quod dedit ante manus,  
Et quid consilijs magis est mutabile nostris,  
Quæ fortuna, velut turbine, cæca, rotat?  
Mille sibi proponit homo de millibus unum  
Vix habet euentis consona vota suis.  
Hoc gemitu TRYLLERE probas lacrymisq; profusis,  
Dum desles NATI funera mesta tui.  
Nam nimium properè, vernans ceu messis in herba,  
Illius in primo flore iuuenta cadit.  
Quo moriente tibi, quæ spes sit adempta, decusq;  
Quale sit amissum, candida corda sciunt.  
Nec quisquam dubitat, moueat quin iusta dolorem  
Causa tibi, gemitus eliciatq; graues.  
Ecquis enim nescit, quòd maior nulla voluptas  
Sit patribus natos quàm genuisse pios.  
Quos ubi spe citius rapit inclementia mortis  
Mors ca, natura lege, dolenda venit.  
Ac veluti gemimus quoties benè fertilis arbor  
Aut vento aut alia vi violente cadit:  
Sic etiam gemimus meritò, cum corpus adulta  
Virginis, aut iuuenis contumulatur humo.  
Quippe senescenti iuuenem solatia ferre  
Fas est & natum solvere iusta patri.

A 3

Hac

Hæc & plura tibi exhibiturus munera promptè  
IOHANNES vita si superasset, erat.  
Eius enim pietas atq; observantia, cunctis  
Vt benè nota fuit sic celebranda viget.  
Nec iuvat hic reliquas illius dicere laudes  
Ne videar lacrymas multiplicare tuas.  
Si mea iuncta tuis valuissent vota, superstes,  
Viveret ille tibi, viveret ille bonis.  
Credibile est, animo tibi cum subit eius imago  
Quod feriat pectus gutta cruenta tuum.  
Sed tamen interea, vir præstantissime luctum  
Causa iubet maior deposuisse gravem.  
fuit ut doleas, est cur moderè dolorem:  
Hoc DEVS, ast mundi suaserit illud amor  
Ergo voluntatem supremi agnosce Tonantis  
Cum stet in illius vitæq; morsq; manu.  
Ille patrem natis, natosq; parentibus aufert  
Omnia pro nutu temperat ille suo.  
Ille dedit vitam, cum vult hanc ille reposcit  
Vivimus & morimur præstitente DEO.  
Sed quis velle mori timeat, quicumq; manere  
Post mortem novit gaudia tanta pios?  
Respice te, vir magne, & mortis damna repende  
Vitâ, qua fruitur Natus in arce poli.  
Instabilis vita est terris, iuvenesq; senesq;  
Cum vult sub leges mors vocat atra suas.  
Hoc commune malum non terret dedita CHRISTO  
Pectora, sed vitæ spem melioris alit.  
Idq; tuus memori IOHANNES mente revolvens  
Vtilius vitæ credidit esse mori.  
Ergo animam placidè CHRISTI exspiravit in vlnas  
Cuius in amplexu gaudia mille capit.

Con-

Contegit ossa solum, sed vivificata vicissim  
Promet, ubi fuerit surgere iussa caro.  
CHRISTE necis victor, vitæ reparator & auctor  
Fac nos in simili pace fideq; mori.

ODAFVNEBRIS

M. Iohan. Friderici VVolfeshufij.

Sic est: In auras hasce quotquot edimur  
Hominum sati propagine,  
Matris subimus denuo terra sinum,  
Stirps unde nostra prodit.  
Hinc mista densari senum, atq; florida  
Videas iuventæ funera:  
Videas tenerellos abripi, fato truci,  
Sublacte matrum infantulos:  
Nec esse toto in orbe, quemq; flebili  
Quod præstet immunem nece.  
En ille, quem nunc stirpe TRYLLERA satum,  
Atavisq; notum, & notum avis  
Telluris arcta destinata portio  
Abdit, fidem firmet puer.  
Illi iuventæ venerat nondum vigor,  
Cum vidit ultimum diem:  
Vt nempe flos, quem terra aprica vix satum  
Dulci educabat in sinu:  
Tunc primum hiare cæperat, cum tabuit  
Calore tactus feruido:  
Ita sauus illum flore sub primo calor  
Et triste fatum perdidit.  
At quem perisse, more pravo, dicimus,  
Is æthere alto celsior

Anima

*Animarum agit visu DEI frucentium  
Beatulo mistus choro.*

*Quid ergo nos, quæis clausa lucis adhuc  
Mens torpet in compagibus?*

*Mori paratos & parem sequi viam  
Exempla reddant: Omnibus*

*Quoniam semel (sic Dijs volentibus,) crucis  
Calcanda lethi semita est.*

**Q V E R E L A F V N E B R I S.**

**E**xiguos numeros cecini tibi, I A N E fidelis,  
Sanguineæ extremum pignus amicitia.  
Eheu tam subito vitæ cui stamina rupit  
Eheu crudeli parca seuera manu.

Ossa cubent tumulo: Candor, Pietas tua viuat:  
Sidereum ad cælum mens tua fecit iter.  
Consobri ac vale, pars nostræ plurima mentis  
Consobri ac iterum siderum in arce vale.

Iohan: Tryllerus Sangerhus.

**C**Vr mihi Parca meum rapuisti dira sodalem,  
Vivere qui dignus tempora longa fuit?  
Quin illos potius tollis mortalibus oris,  
Quæis nil virtutis nec pietatis inest.

Te Musa Tryllere gemunt, charitesq, tuig,  
At nulli est tantus ceu mihi corde dolor.

Namq, anima tecum mihi pars avulsa videtur,  
Ablatum vitæ dimidiumq, mea.

Quippe tibi posthac coniunctior esse vloebam  
In vita & studijs, iure sodality.

Sed quia sic CHRISTO visum est ut in æthere viuas,  
Vive DEO, æternum gaudia latus age.

Cum mihi non liceat coniuncte hic viuere tecum  
Illa dies, illic quando licebit, erit.

Gabriel Stiphe I Saleensis. F.

29  
we 34/5

ULB Halle 3  
003 483 487





Sb.

VD 77

we - Retros ✓







16

112

VERSUS EPITAPHIOS,  
**IN OBITVM**  
PII AC MODESTI ADO-  
lescentis IOHANNIS, integerrimi  
& Doctissimi Viri Dn. M. IOHANNIS  
Trylleri, Præturæ Leucopetræ Præfecti,  
Filijs, placida morte ex hac cadu-  
ca in alteram æternam  
evocati.

ANNO CHRISTI,  

---

M. D. XCI.  
die 10. M. Augusti.  
*Scriptos ab*  
Amicis & Consanguineis.



LIPSIÆ,  
*Imprimebat Iohannes Beyer Typographus*  
& Bibliopola ibidem.

18

